



Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

27. De approbatione totius operis ac de Sabbato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60588](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60588)

Eph. 5. 27. quo illa ædificatur, & efficitur: *Sine ruga & macula*, ex quo capite tanto plus ad mutuum amorem excitari debemus.

MEDITATIO XXVII.

De approbatione totius operis, ac de Sabbato.

PUNCTUM PRIMUM.

Reflexio Deisuper opera-sua. **P**ost opera singula, *Vidit Deus quòd essent bona*: in fine autem reflectens se super omnia, vidit: *quòd essent valde bona*, nempe unaquæque res in se bona fuit; & in ordine ad perficiendum mundum, quia ex illis constat, valde bona.

Solus Deus potest ita loqui de omnibus suis operibus: tum etiam Christus, qui peccare non potuit, quòd esset Deus: de quo dicitur: *Bene* Marc. 7. 37. *omnia fecit*: & B. Virgo, quæ non peccavit ex singulari privilegio. Alii quantumvis justi: *in multis offendimus omnes*. Debemus omnes nostra examinare, primò singula, ubi aliquid perfecimus: deinde ad vesperam, quæ per diem: tertio in fine hebdomadæ pro confessione: Iac. 14. 30. quartò quotannis, pro generali: demum in fine vitæ, ut *Princeps hujus mundi* in nobis, quòd suum sit, *inveniat nihil*.

PUNCTUM II.

Benedictio diei septimæ. **D**ie septimo requievit ab omni opere, quod parat. Non quasi non posset plura facere

re

re, sed quia jam istud perfectum erat. Nec
requieuit in ipsis creaturis, unde nihil accepit;
sed in seipso gaudens, quod explevisset æter-
num suum consilium creandi mundum. Sic ego
in Deo, non in creaturis quietem ponam. La-
tari licet de illis: nam & *Latatur Deus in operi-
bus suis. Et delectasti me, Domine, in factura
tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* ^{Ps. 13. 3 R}
^{Ps. 91. 8 d}
Sed non requiescere in illis, verum ad Deum re-
ferre. *Requieuit Deus*, non quasi laborasset: sic
mihi ne sit labori, propter Deum operari. *Et be-
nedixit diei septimo* Dei est benedicere, bene-
facere. Cessavit à creando, sed non à conser-
vando, & gubernando, quod fecerat: sed ex
tunc usque modo semper operatur, quæ est no-
va benedictio. Creaturæ quoque ipsæ secundum
acceptam virtutem deinceps operari cœperunt,
atque ad fines suos tendere: neque enim con-
ditæ sunt, ut cessarent, ac imprimis homo ipse,
cui præcipuè sanctificatus est dies Sabbati, ut
moneretur æternæ quietis, & sabbatissimi, quò
aspirare deberet.

PUNCTUM III.

PRæcipit Deus Iudeis: *Memento ut diem Sab-
bati sanctifices* idque ad memoriam benefi- ^{Exod.}
cii creationis. Huic successit dies dominicus in ^{20. 10.}
memoriam renovationis, quam sua redemptio- ^{Myste-}
ne Christus perfecit, & illius quam speramus in ^{rium}
resurrectione corporum, & gloria cœlesti. Porro ^{cessatio-}
sanctificatur dies dominicus. 1. Abstinendo à ^{nis ab}
omni o- ^{pere.}

Bb 4

pec-

Ioan. 8.
35.


Coloss. 3.
16.

4.

Pf. 114.
7.

peccatis, quæ sunt opera maximè servilia. Nam, *Qui facit peccatum, servus est peccati*: nec major potest esse ingratitude, quàm tunc offendere Deum, cum recolenda est memoria illius beneficiorum. 2. Meditando acceptum beneficium per exercitium orationis. 3. Laudando Deum etiam voce: quod fit in Ecclesia, quo convenire oportet, *Cantantes in cordibus nostris, & gratias agentes Deo, & Patri misericordiarum per Christum*. 4. Offerendo sacrificium, quod fit ad cultum Dei in gratiarum actionem, & ad impetranda beneficia. Offerre autem cum Sacerdote quisque debet, jungendo intentionem suam & preces, ut acceptabile fiat Deo sacrificium, nobisque salutare. Addi etiam debet sacrificium spiritus contribulati, & cordis contriti, necnon sacrificium justitiæ, & bonorum operum, quia non sufficit cessare à servilibus, nisi adjiciamus bona.

Quando nos ita sanctificamus diem, vicissim Deus benedicet illi diei, replens nos benedictionibus cœlestibus, ac etiam temporalibus. Ergo *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi*: Recole accepta, adspira ad futura.



ME.